

3. His præmissis pergamus ad ea Scripturæ loca, in quibus aut Philosophia, aut Sapiencia damnari videtur: inter quæ principem locum dabimus iis quæ occurrunt in priore Pauli Epistolâ ad Corinthios, cap. 1, 2, & 3, tum, quòd hîc plures similes simul concurrunt, tum quòd his expeditis reliquorum explicatio sponte sequetur. Taxat in hujus Epistolæ initiò Apostolus scismata inter Corinthios exorta, eorum causam exponens atque originem, reprehendit vanitatem atque ambitionem Doctorum quorundam, qui nomine Sapienciæ, atque eloquentiæ primatum in illâ Ecclesiâ ambiabant, atque affectabant; simulque auditorum stultitiam, qui tales admirati Doctores, in partes & studia contraria scindebantur. Hos ut in viam reducat salutarem, dehortatur à sectandis hominibus istis vertiginosis & scismaticis, eumque in finem prolixè differentiam ostendit inter cælestem salutis doctrinam, & Sapienciam mundanam, inter hominè spirituales, & animalem seu carnalem, inter eloquentiam divinam ac simplicem, & humanam ac turgidam. Sed singula, quæ nobis negotium faceffere possent, loca videamus atque enucleemus. Cap. 1. v. 19. *Hæc habentur. Abolebo sapienciam sapientum, & intelligentiam intelligentum tollam è mediò, & v. 20. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor seculi istius? nonne infatuavit Deus sapienciam mundi hujus?* & Cap. 2. v. 6. *Sapienciam non loquimur seculi hujus neque principum seculi hujus, qui abolentur.* & cap. 3. v. 19, 20. *Sapiencia mundi hujus stultitia est apud Deum: Scriptum est enim, carpit sapientes cum versutiâ ipsorum. Et rursus, Dominus novit cogitationes sapientium esse vanas.* His in locis per *sapienciam sapientum, intelligentiam intelligentum, sapienciam mundi hujus, seculi hujus, ac principum seculi hujus* Philosophiam intelligi, eamque damnari crepant omnes ferè interpretes. Sed perperam: nam Apostolum non sapienciam veram, sed apparentem designare, atque perstringere, tum ex ejus patet scopò jam allatò; quoniam scismaticum causa esse nequit vera, cum vera sit, & verum bonum prosequatur, tum ex iis manifestè demonstratur, quæ de illâ ab Apostolò dicuntur. Neque enim veram abolebit, aut è mediò tollet, aut infatuavit, aut pro stultitiâ habet Deus; cum ejus sit autor, illaque nil nisi verum, & bonum, quæ æterna sunt, doceat: Sed apparentem, quæ ex hominum cerebro profecta verisimilitudines captat vanas, atque inania & fluxa bona sectatur: unde etiam humana, hujus mundi, hujus seculi, & principum hujus seculi, ab Apostolò nuncupatur; idque vel respectu causæ, quatenus ab hominibus hujus mundi & seculi est inventa, atque exulta; vel respectu objecti, quatenus circa res hujus mundi & seculi versatur. Et hâc qui præditi sunt, *Carpit Deus cum versutiâ ipsorum, eorumque cogitationes novit esse vanas*; quæ locum in veræ sapienciæ possessoribus nequaquam obtinere queunt. Præclarum enim Dei donum

donum